

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICO-THERAPEUTICA**  
**DE**  
**EPILEPSIA,**

**QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**MAGNIFICI DOMINI**  
**PRAESIDIS ET DIRECTORIS**  
**SPECTABILIS DOMINI DECANI**  
**ET TOTIUS**

**INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE**

**PRO**  
**DOCTORIS MEDICINAE GRADU**

**IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,**  
**RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS**  
**IN REGIA SCIENTIARUM**  
**UNIVERSITATE PESTIENSI**

**BENEVOLO EXAMINI SISTIT**

**Hermannus Bing,**

**MORAVUS NICOLSBURGENSIS.**

---

**In Theses adnexas disputabitur in palatio Universitatis**  
**maiore die      Octobris 1831.**

---

---

**PESTINI,**  
**TYPIS NOBILIS J. M. TRATTNER DE PETRÓZA.**

Non est in Medico semper relectur ut aeger;  
Interdum plus docta valet arte malum.



Seinem  
vielgeliebten und besten Vater

**Adam Bing,**

Seinem geehrten Onkel

**M. Fleischmann,**

Seinem werthesten Freunde und Wohlthäter

**W. Bisenz,**

als Beweis

innigster Liebe, hoher Achtung und Dankbarkeit  
gewidmet

Vom Verfasser.



**Lector benevole!**

**U**rget quam maxime patriae calamitas ad Lauream Medicam quantocius capessendam, saevit enim in Moravia morbus dirus, Indiae orientalis proles, sed legi Academicae perantiquae prius satisfacere oportet typis vulgando tractatum ad libitum selectum. — Persoluturus igitur legum venerandae potestati tributum de epilepsia scribendum in animo institui. Nevrosim hanc, cujus portendam faciem videre saepius mihi fuit oblata occasio in clinico medico Vindobonensi, pro tenuitate virium mearum exaravi, hinc non mirabere L. B.

ni aliud in his pagellis inveneris, quam aliorum  
 Claris. Virorum observationes circa hoc malum,  
 ad meam mentem in ordinem minus perfectum  
 redactas, et verbis forsitan minus aptis expressas.  
 — Interim benigno illas accipias vultu etiam at-  
 que etiam precor. Vale et fave!



## Introduction.

Morbus gravis ipso jam adspectu adstantes terrens,  
 ex amplissima spasmorum familia nostra aetate proh do-  
 lor! frequentissimus, antiquissimorum jam in medicina  
 heroum ingenia exercuit, quod ex Hippocrate *a*), Aretaeo  
 Cappadoce *b*), Celso *c*), Boerhavio *d*), Cullenio *e*), Sau-  
 vagesio *f*) et Switenio *g*), legere licet. Prima vero illius  
 morbi disserta descriptio Tissotio *h*), Frankio *i*), Stollio  
*k*) et Hecker *l*) debetur. Illustrarunt praeterea hunc mor-  
 bum operibus suis Clariss. Val. ab Hildenbrand *m*), Haase  
*n*), Nob. a Raimann *o*), et diligentissimus observator me-  
 dicus Lentinus *p*). Praestantem de hac materia exhibuit  
 dissertationem Cl. Prof. Ed. Flor. Birly *q*).

- a*) L. de morb. sacro n. 6. et tract. de virg. affect. n. 389.  
*b*) de causis et signis acut. morbor. L. IV. et V. *c*) L. 3.  
 cap. 23. *d*) in aphorism. *e*) Nosol. edit. Frank. *f*) Nosol.  
 method. *g*) Comment. in Boerhav. *h*) S. A. Tissots Ab-  
 handlung von der Epilepsie *i*) in epitom. continuat. *k*) Prael.  
 in div. morb. chron. II, p. 1. *l*) A. v. Hecker Dr. de epi-  
 lepsia. Erf. 1800. 8. *m*) in praelect. clinicis. *n*) Über die  
 Erkenntn. u. Cur der chr. Krankh. 2. B. p. 186. *o*) Handb.  
 d. spec. med. Pathologie und Therapie 2. B. p. 637. *p*) In  
 epica Beyträgen zur ausüb. Heilk. *q*) Dissertatio inaug.



## D e n o m i n a t i o .

Epilepsia a Graeco *Ἐπιλαμβάνω*: desuper prehendō; morbus sacer Hippocratis, m. major Celsi, m. comitialis Plinii, convivalis, mensalis; herculeus Aristotelis; impunitus Plauti, viridellus, vitriolatus, sonticus, caducus, lunaticus, foedus, sideratus, selenicus, insputatus, sceleratus, daemoniacus, deifica lues, m. deificus, astralis, analepsia, analepsia, apoplexia parva, cadiva gutta, caduca passio, epileptica passio, epilepticus morbus, hiera nosos, mater puerorum, peditio, morbus sti Valentis, sti Joannis; Germ. Fallsucht; Fallende Sucht, Jammer, schwere Noth, böses Wesen, böse Staupe. Gall. Epilepsie, mal caduc, haut mal, mal de terre, mal de St. Jean, mal des enfans; Angl. Epilepsy, the falling Sickness; Hungaris nyavalyatörös; Belgis Vallende Zichter.

## D e f i n i t i o .

Epilepsia ad mentem Celeberrimi ab Hildenbrand est genus morbi spasmodici, compositi e pluribus invasionibus, quae stipantur spasmo clonico universali, et sensuum externorum internorumque tanta abolitione, ut rerum in paroxysmo peractarum nulla sit memoria.

## S y m p t o m a t o l o g i a .

Dirae huic et fatali nevrosi tria auctores adsignant stadia: prodromorum [nempe, convulsivum et soporosum.

1) Stadium prodromorum; quandoque plane deest, quo in casu epilepsia fulminis instar, sine omni praevio nuncio, invadit. In plurimis vero epilepticis notatur stadium hoc symptomatibus nunquam diu, saepe aliquot se-

cundis, ad summum aliquot minutis durantibus. Ad prodroma haec symptomata pertinent imprimis lassitudo, morositas, lingua titubans, stupor vertigo, cephalalgia, tensio quaedam molesta in parte aliqua, praecipue ubi epilepsiae symptomatae causa haeret, incipiens loquacitas insolita, aliquando delirium, insomnia horrida, pavor ab irruente fera aut spectro, scintillae oculis obvolitantes, anxietas, temulentia, somnus concussionibus gestibusque peculiaribus perturbatus, subita excitatio ex somno, visiones, hallucinationes variae, susurrus aurium, barycoia, iridis colores ante oculos caligine obfuscatos corruscantes, caecitas, strabismus; oscitatio pandiculatio, singultus, cordis palpitatio, constrictio faucium, pectoris, cardialgia gravis, borborygmi, nausea, vomitus, diarrhoea, narium pruritus, stridor dentium, vermium per superiora vel inferiora excretio, ventris dolor et tumor quasi flatulentus, extremorum frigus, fornicationis sensus, urina multa, pallida aut mictus nullus, saepe sine manifesta causa veretri tentigo et frequens veneris delectatio, aliquando etiam per somnum seminis lapsus; quibusdam miri soni auribus percipiuntur, aliis molestus dolor vel sapor nascitur, palpebrae tument, venarum praecipue frontalis turgor, facies turbata, articularum temporalium vibratio percipitur. Alii omnia objecta incipiunt videre ac si densa obscurarentur nebula, et subito crescente hac caligine corrumpunt, in aliis timiditas magna, tristities aut insolita laetitia, proclivitas in iram, serenitas mentis inconsueta, species ecstasis facultates mentis et corporis nimium exacuens, fletusve observantur. Quidam sentiunt a digito pedis manusve, abdomine, spina dorsi, lumbis, inguinibus, hypochondriis, vertice capitis, auram quasi frigidam ascendere, pruritus, ictus electrici aut perfusionis cum aqua frigida sensationem producentem, lente se versus caput aut ventriculum, vel deorsum ad

epigastrium propagantem, quae quamprimum haec loca attigit, subito conscientia deletur et insultus epilepticus ingruit.

2) Stadium convulsivum. Praegressis prodromis alter symptomatum comitatus tristissimam scenam, insultum epilepticum ipsum inducit. Comitialium quidem multi prosternuntur antrosum, retrorsum vel in alterutrum latus, eorum tamen quidam erecti et rigidi paroxysmum sustinent; alii ambulant, errant, saltant, in gyrum vertuntur alii. Plerique autem ipso quo cadunt momento validum clamorem edunt, cujus tamen conscii non sunt; sequuntur tunc mirabiles, et variae plerumque in singulis epilepticis partium musculosarum convulsiones, nec fere ulla gesticulatio, inflexio vel positura nascitur, quam obtinente passione non exhibuerint aegri. Plerumque vox ut in strangulatu aufertur, estque gemitus et suspirium. Frons et cutis capillata capitis miro agitantur modo, comae eriguntur, supercilia moventur, deprimuntur et ad se mutuo accedunt; oculi in orbita rotantur, per vices exanimes quasi figuntur, palpebris clausis aut spastice retractis; cornea in multis invenitur splendore destituta, fere rugosa veluti cadaverosa, pupilla modo normalis, modo dilatata, modo angusta, cum iridis motu nunc protracto, nunc deleto, nec sibi in utroque oculo simili. Lucem vero aegri nec minime percipiunt, neque inde male afficiuntur. Facies tumida, rubra, pallida, saepissime livida, omnes animi adfectus exprimit; sudor nonnullis erumpit cum foetore et totius corporis aestu. Spuma tenax, ductilis, alba, saepe cruenta ore expellitur, labiaque ac nares obducit. Maxilla inferior vehementer alliditur superiori, adest stridor dentium, lingua exerta infigitur, demordetur, et dentium frustra dissiliunt. Verus quoque oritur trismus, vel maxillae ita ab sese divaricantur, ut inferior prorsum luxetur. Deglutitio impossibilis. At inter-

iores quoque corporis partes similiter agitari docent ructus, borborygmi, vomitus, alvi et urinae excretio inscisci facta, pressio per masculos abdominales. Sed et vitales actiones quam maxime turbantur: initio enim pulsus celeres, parvi, in fine vero paroxysmi majores, sed languidi et tardiores, in universim pulsus sunt inordinati. Pariter et respiratio miris turbatur modis, primo paroxysmi initio solent affici muscoli vocales, postea autem oritur nixus validus, ut quibus suffocatio imminet, et edunt sonum, qualem audimus in robustissimis hominibus, dum valido nixu grave pondus elevare, vel obstaculum quoddam remove conantur (Birly). Impedita respiratio gemens, stertens, per intervalla subsistens percipitur; plurimi rhonchos ducunt, alii murmurant, verba intersecta et non bene cohaerentia, mugitus edunt, animalium voces imitantur, rident et cantant. Graves spasmi musculorum voluntati obedientium, clonici potius quam tonici per corpus propagantur universum, accedit oculorum distorsio, manuum impotentia, pollicis in pugnam retractio, calcitratio, digitorumve in pedibus diductio. In volam contracti pollices nec vi maximae eos trahenti, cedunt, quin tamen haec pollicum adductio, ut nec spuma oris, constans epilepsiae constituentia symptoma. Vehementissimae contractiones musculorum subinde corpus integrum elevant, flectunt, extendunt, atque horsum versus agitant, ut graves quandoque laesiones vix praecaveri possint, cum ne maxima vis partes convulsas figere valeat, quae si figantur, ossa franguntur. Pugno pectus immaniter feritur. In viris priapismus adesse solet, ac testibus ad anulum abdominalem usque attractis, citra arbitrium aegri geniturae excretio contingit atque ani prolapsus. Memoratur etiam epilepsia, in cuius paroxysmo oculus extra orbitam pugni instar protendebatur, et paroxysmo exacto normalem in statum redibat. Gravi-



dae sub paroxysmum partum absoluisse sunt visae. Sunt etiam qui in uno latere convulsionibus fortioribus aguntur ac in altero. Tandem respiratio fit liberior, sed stertorosa cum somno profundo, quasi apoplectico, convulsiones remittunt, pollices explicantur, ructus gignuntur graveolentes, vomitus alvusque diarrhoica secedunt, atque profundum suspirium commotas sedat turbas.

3.) Stadium soporosum. Composito paroxysmo epileptico conscientia et sensatio non statim perfecte redeunt. Ex somno profundo, stertoroso, profundo, aegri absque memoria eorum, quae sub insultu contigerunt expergefiunt, adestque magna sensuum caligo. Somno vigente pulsus plenior, magis regularis, respiratio liberior evadit, sudor universalis largus, in superiore corpore copiosissimus, glutinosus, graveolens erumpit, quem si parcius est ptyalismus quandoque supplet. Expergefactus, per aliquod adhuc tempus aeger oculos exhibet fixos, attonitos, lineamenta faciei furbata, loquela balbutiente conqueritur de debilitate, dedolatione, stupore, somnolentia et cephalaea gravativa. Denique sensim omnia morbi disparent signa, persistit tamen per dies aliquot alienatio quaedam animi, ac a leviori mentis et corporis contentione cita defatigatio; subin remanet retractio colli aut anguli oris ad latus alterutrum, suggillationes, dolores osteocopi, et si spasmus in oculis nimium saeviit, strabismus.

### Typus, Duratio, Effectus.

Rarissimi adnotantur casus ubi morbus uno paroxysmo contentus, siluit; varia vero temporis intervalla inter duos paroxysmos intercedunt; redeunt insultus quovis anno, mense, quavis hebdomade, vel semel, bis, ter, sexies et ultra de nycthemero, nunc diurno solum tem-

pore, nunc noctu tantum, nunc sine omni ordine. Et typum quandoque epilepsia servat, in quam phases lunae quoque effectum exeruisse sunt visae.

Duratio paroxysmi varia; quandoque tantum paucis minutis prehensus convellitur aeger; quandoque autem, quod frequentius contingit, quadrante circiter horae, aut media, aliquando et integra hora insultus durat; imo observatis medicorum constat, pluribus horis durasse paroxysmum. Per annos ceteroquin durat morbus caducus, nec nisi morte finitur.

Ex morbo tam atroci ex vehementia non minus, quam diurnitate symptomatum magnas, easque graves organismo humano imminere noxas, saepe per totam vitam molestas, facile colligitur. Sic epileptici a suis paroxysmis resurgentes hebetes sunt et tardi, obliviosi, debiles ab agitatione nempe encephali, et majore distentione vasorum sanguiferorum. Alii immedicabili surditate laborant; multi manent tota vita fatui. Ab artuum distentionibus, validissima in paroxysmo musculorum contractione, ipsi musculi quandoque rumpuntur et ossa franguntur. Post validos insultus epilepticos vasa cutanea quoque rumpuntur, et puncta ruberrima per totam corporis superficiem dispersa manent, quae sensim postea evanescent. Aliquando gangrenae et sphaceli metus subest.

### Diagnosis.

Varii ex nevrosium tribu occurrunt morbi, primo obtutu epilepsiae consimiles, hinc medicus severe perpendat, contra quem pugnet hostem, ne in praesagiis, aut ipsa medendi methodo in errorem incidat. Frequenter simile pati epilepticis a matrice praefocatae mulieres inveniuntur, siquidem non aliter sensibus priventur; sed

discernuntur, quod in ultima accessionis parte per os atque nares spumarum fluore, qui tamen symptoma vix non constans in epilepsia est, haud efficiantur, quodve sensus internus non penitus aboleatur.

Lipothymia quoque et vertigo insultus epileptici levioris speciem nonnunquam mentiuntur, ast haec motuum spasticorum absentia distinguit. — Analoga epilepsiae non raro apoplexia est, in qua autem motus clonicus desideratur. Eclampsiam genere diversam ab epilepsia Sauvagesius et Vogelius contendunt, cum huic decursum chronicum, illi acutum adsignent; ast cum limes certus inter morbum acutum, et chronicum problema adhuc medicum sit, accedere huic adserto nequaquam possumus: fors sedula attentio, utrum aura epileptica paroxysmum annunciet, dubium solvet. Hi, qui e servitio dimitti, aut poenam evitare, aut misericordiam excitare volunt, inter omnes morbos frequentissime epilepsiam simulant. Conditio oculorum, status pulsuum, conditio extremitatum, status sensibilitatis, duratio paroxysmi et conditio aegri post insultum, tandem habitus aegri et examen improvisum, explosione sclopeti, sternutamentis, vaporibus sulfuris, praeparatione tormentorum; ferri candentis, cerae sigillatoriae, suspicione quam maxime probata, institutum, fraudem mox detegit, atque epilepsiam veram a simulata vindicabit.

### A u t o p s i a e c a d a v e r u m .

In causas indagare rerum medicorum philosophorum rationalium omnis aevi cura erat, ut igitur morbi tam abstrusi causam proximam eruerent, mutationes prius substrati materialis cultro anatomico perlustrarunt: eoque itaque fructum innumerabilium sectionum. Cadavera epilepsiae peremtorum notabiles abnormitates cerebri, et

partium ab eo etiam remotarum, subinde nihil abnormis exhibuerunt. Nec velandum abnormia quaedam reperta, potius effectus, quam causam fuisse morbi. Erat, cerebrum cum suis velamentis concretum, communiter valde molle, subinde durum, scirrhosum, excrescentiis obsessum, glandem plumbeam, tumorem cysticum, steatoma recondens. Aderant ulcera in eodem, accumulatus ichor, sanguis, lymphæ in penetralibus ejus; vasa turgida, rupta, eminentia quadrigemina exilis, vel magnitudine excedens, thalami nervorum opticorum exsucca. Inventa est glandula pinealis aqua obruta, nimis magna, vel parva, indurata, sine sabulo; infundibulum praerubrum, incrassatum, sella turcica complanata, e situ suo dehiscens. Multis epilepticis frons erat valde parva, anterior pars capitis elongata, plura ossa oranii oblique posita, quorum quaedam prominebant, alia erant impressa. Aderant foramina diversae magnitudinis in calvaria, haec frequentius crassa quam tenuis; exostoses, spinae osseae, superinductio calcarea, cuncta cerebrum diversimode prementia; caries in ossibus, suturae ab invicem recedentes, quod iis plerumque, qui sub insultu occubuerunt, accidit; porro cava cerebri aqua aut sanguine plena, dura mater crassa, tenaci massa inducta, hinc inde ossificata, cum ossiculo in falce cerebri, polypo in sinu longitudinali; pia mater justo crassior, mucosa, coloris cerulei, cum tumoribus spongiosis, vasis sanguine plenis, calculis, hydatidibus; glandulae Pacchionii tumidae, induratae; medulla oblongata dura, fere cartilaginea; medulla spinalis modo mollior, modo durior, membrana illius vascularis brunei coloris. Abnormitates in regionibus procul a capite, hae sunt repertae: tumor nervum hypoglossum premens, nervus phrenicus, vagus, ischiaticus, cruralis tumore scirrhoso circumdati, nervi olfactorii firmissimi; pulmones flaccidi, pleurae adnati, scirrhosi; cor magnum



pericardio adcretum, parietes ejus crassiores cavitate imminuta, polypum continens; costae cereae mollitiei; ventriculus tenuis, tenax, inflammatus, erosus; intestina cum moneta quondam deglutita ad valvulam coli haerente, sarcomate, adipe, vermibus; hepar et splen indurata, calculi in renibus, sarcomata nervos extremitatum magnos prementia. Cadavera epilepsia interfectorum cito in putredinem ruere dicuntur. Dari tamen epilepticos, quorum cadavera nil abnormis exhibuerunt, supra jam dictum est, quin effectus evidentes in textu corporis ponantur, omnino est concedendum.

### Divisio morbi et causa proxima.

Multifariam habita varia ratione, epilepsia nacta est divisionem. Licet morbus, si frequentiam spectemus, ad morbos chronicos potissimum pertineat notantur tamen casus, ubi epilepsia acutorum more hominem morti tradit, ut itaque divisio in acutam et chronicam observationibus comprobetur. Haereditariae etiam epilepsiae acquisita opponitur; prior nempe per generationem ex parentibus in proles propagatur. Etsi epilepsia primum plerumque malum sit, constat tamen medicorum observatis, hunc morbum quandoque ab alio praesente morbo ortum ducere, et illius esse effectum; nam saepe a dispositionibus purulentis nascitur, aut si non metastases, saltem metaschematismi contingunt, hunc morbum producentes (Hildenbrand); hinc in primariam et secundariam epilepsia dividi quoque potest. Gravissima autem epilepsiae divisio est in idiopathicam et sympathicam. Illius causa est intra cranium in ipso encephalo, et quidem in illa illius parte, ubi est origo actionis et sensuum, ducitque originem a rebus imaginationem matris gravidae afficientibus, a peculiari cranii structura, encephalotide imperfecte

resoluta, hydrocephalo non penitus sanato, tinea incaute fugata, ac denique a terrore. Hanc valida nervorum irritatio in dissitis ab encephalo partibus haerens producit, licet nullum signum doceat, noxam in encephalo adesse; et vicissim ablatis causis irritantibus morbus ipse aboletur.

Notandum tamen, posse quandam corporis partem primario affici, licet causa lateat in encephalo. Sic saepe instante apoplexia lingua titubat, loquela aboletur, et sursum trahuntur oblique alterutro in latere labia, tumque mox sequitur morbus totius sensorii communis. Hinc potest contingere, ut intra cranium idiopathicè incipiat ut formari morbus, qui se tandem manifestat ab affectione exiguae partis encephali, unde origo nervorum pendet, qui ad eum corporis locum pergunt, in quo illa mutatio apparet. Non ergo tunc credimus apoplexiam generari ex illo motu tremulo linguae, distractione labiorum etc. sed encephalon jam affici signa docent, et deinceps incrementum eadem causa delet omnes functiones animales. Ita etiam in epilepsia, licet oriatur mutatio quaedam in aliqua corporis parte ante paroxysmum, nondum tamen inde certo liquet, hoc loco latere morbi fomitem; potest enim ob rationem modo dictam epilepsia esse idiopathicè, ut ut videatur oriri ex alia quadam corporis parte prius adfecta, dum nempe affectio partis hujus tantum index est causae in ipso cerebro haerentis, quae jam incipit actiosa reddi, ut paroxysmum producat. Dubium tamen illud solvi potest, si instante paroxysmo parte primo affectae adhibeatur medela. Si enim fricando, premendo vel ligando hanc partem paroxysmus impeditur, vel multum retardatur, encephalon idiopathicè adfectum non est, sed adficitur per sympathiam, morbi fomite in alio loco haerente. Et contra si absque nullo effectu talis medela fuerit tentata, merito concluditur,

idiophticam esse epilepsiam, cujus causa integra in encephalo haeret, in originem nervorum, ad corporis partem primario adfectam, tendentium, primo agens, omniaque turbans; dein, dum cito increscit. — (Birly).

Insignitur etiam epilepsia a pectore, encephalo, abdomine proficiscens. Epilepsia abdominalis ab affecto systemate gangliorum profecta frequentius in pueris quam puellis, et frequentissime nono et decimo aetatis anno, magisque hyemali tempore et crescente luna ingruit. Paroxysmi sine manifesta causa, non raro post iram, praevius dysuria, dolore abdominis, nausea et vomitione, atque aura ab umbilico ascendente, evolvuntur. Adsunt vermium indicia, acidum primarum viarum et saburrae, atque glandulae mesenterii male adfectae. In adultis occurrens, potissimum causam habent in ventriculo, praesertim ore illius, in hepate et cystide fellea (Galenus). Praecedunt insultus ardor ventris, inediae intollerantia, mictus, borborygmi, isingultus, respiratio intersecta, palpitatio cordis, et quandoque icterus. Lien quoque, pancreas, renes, ureteres, vesica urinaria, et apud sexum sequiorem uterus, morbo hospitium praebent. — Quodsi ex nobis quaeratur quanam sit hujus morbi causa proxima? solutio quaestionis magnis premitur difficultatibus. Quidam, oduee cultro anatomico, plurimas epilepsias derivant a nimia angustia selli turcici, ossis sphaenoidei, nec non a morbooso statu glandulae pinealis, quae omnia cerebrum diversimode premunt; ast: Dum viso spileptico territus, homo corripitur eodem morbo, quis definire audebit, quid tunc mutatum fuerit in corpore (Switen)? Sententiae, ab omni aevi medicis in hoc argumentum prolatae, tenebras densas, rem gravissimam obvolventes perquam parum hucdum dilucidarunt. Pituitam praesertim acidam, plurimum accusabant Hippocrates et Galenus. Alii contendunt ob infarctum, induratum, aut debilita-

tum plexum choroideum aut aliam cerebri partem, in hujus penetralibus acre accumulari serum, quod nervos repente adgrediens, motus illos vehementes producit, quo eliminato, tandem quies systemati nervoso conceditur. In generali quadam intentione animi excussoria, causam proximam epilepsiae, collocat Ernest. Stahl. Membranas cerebri etiamsi non perperam organisatas, attamen justo debiliores, adeoque convulsionibus obnoxias, imprimis duram matrem, culpam morbi gerere, accusant alii. Fundari epilepsiam in indirecto processu inflammatorio, indolis antiphlogistico-materialis, explicitant, naturae philosophi. Löbenstein, Löbel vero rem clarissime expedivisse putat, dum ait; consistere epilepsiam in turbato typico contractivo-expansivo actu cerebri, et cerebelli, qua ratione momentanea oscillatio in centrali organo systematis, nervosi producitur, et per consensum reliquis nervis quoque communicatur. His, utpote neque naturam morbi dilucidantibus, nec therapiae faventibus, missis, optime sibi consulat is, qui in ferenda therapia rationali, ad exemplum cel. Richter, tria praecipua systemata organismi: irritabile, sensitivum et reproductivum attentissime respexerit, et lex symptomatibus in his exclusis, imaginem morbi et proximam causam, individuali magis statui sagacissime accommodarit.

**Aetiologia.**

Dispositioni causae excitantes jungantur oportet, ut nascatur epilepsia. Conditiones igitur primo sunt eruendae, quae hominem ad hunc morbum disponunt; quaeve licet nos adhuc lateant, multa tamen suadent argumenta, hanc diathesin haerere in sensorio communi, hocque ita disponi, ut turbetur postea causis accedentibus. Quum autem sensorium illud commune non aequae fir-



mum sit in omnibus hominibus, et in quibusdam facilius irritetur, omnesque ejus functiones turbentur, facile patet, quare pro diversa sensorii communis dispositione diversimode afficiantur iisdem causis homines, et illa, quae omnia turbant in quibusdam, nullam mutationem inducant in aliis. Illa dispositio a parentibus in proles saepissime propagatur, et haereditariam labem progignit; docuit tamen etiam observatio, eam a parentibus epilepsia laborantibus haud semper in natos traduci. Infantilis aetas et puerilis huic malo praecipue obnoxia est; licet omnem aetatem, omne temperamentum invadere et possit et soleat. Disponunt porro diathesis scrophulosa, rhachitica, plicosa, masturbatio, abusus liquorum fermentatorum, sexus femineus, ingenium perspicax, altum. Universim plethorici, nimis sensiles et irritabiles, debiles, veneris speculationibus nimium indulgentes, exhausti, melancholici, hypochondriaci, hystericæ, et quodcumque morbi convulsivi genus, praesertim infantili in aetate perpassi, maxime in hunc morbum sunt proni. Graviditas autem, puerperium et lactatio dispositionem potius temperare videntur, hoc enim tempore saepe emanet insultus.

Causae excitantes diversissimae, saepe difficillime eruendae, quo eminentiorem inveniunt dispositionem, eo facilius et citius producant morbum. Sunt autem: nimia ingurgitatio, humorum turgor a suppressis profluviiis solitis, encephalon opprimens; haemorrhagia narium, diarrhoea consveta, menstrua, lochia suppressa, urina retenta, haemorrhoidum profluvium retro pressum, sudor intermissus, consueta seminis excretio inhibita; ventriculi, intestinorum et viscerum abdominalium humoribus turgescencia. Nonnunquam peculiaris morbi epidemici genius epilepsiam in praedispositis, ob humorum in caput turgorem, excitat, ut in febris epidemica milliari Barail-

lon observavit. Porro omne profluviorum genus huc refertur, quod succorum jactura, tantam organismo debilitatem inducit, ut leviores etiam stimuli hunc morbum invitent, hinc: largae haemorrhagiae, lactatio protrahata, seminis jactura immoderato coitu, masturbatione, et quaecumque magnae evacuationes. Amplissima autem causarum classis continet varii generis stimulos, epilepticam convulsionem excitantes, huc pertinent impetiginæ et exanthemata retropressa, herpes siccatu, scabies retro pulsa, ulcera praemature siccata, arthritis retrograda, variolae, morbilli, scarlatina ante sui eruptionem, vel post non sufficientem excretionem; dein et alii stimuli in corpore haerentes, calculi, vermes. Sub nimia corporis sensilitate in infantibus meconium retentum, alvus difficilis, tormina, terror aut ira nutricis, febris incipiens, praecipue variolosa, dentitio difficilis. Item venena varia, opium, hyosciamus, cicuta virosa, mercurius et purgantium drasticorum abusus, tum etiam odores ranunculi hortensis, foliorum juglandis, panis recentis. Magnam in excitanda epilepsia potentiam exerunt animi pathemata: gaudium repentinum, terror, ira, non raro metus et tristitia; item meditationes profundae, studium nimium, aspectus epileptici, imaginatio exaltata. Non minus in hoc morbo producendo valent omnes violentae adfectiones nervosi generis, uti magni et periodici dolores, inedia, rosiones et irritationes ab acri quodam, aut alio stimulo heterogeneo, morboso, in ventriculo, intestinis, hepate etc. haerente. Variæ quoque capitis et cerebri adfectiones hunc morbum excitant. Huc pertinent laesiones capitis per vulnera et contusiones, sanguis extravasatus, pus, sanies, ichor premens et irritans; partium ossearum malae conformationes et morbi, excrescentiae, intropressiones, fracturae, festucae, topi, caries vel simplex, vel venera; partium mem-



branosarum indurationes et erosiones, quorsum sinuum callositas, et erosiones meningum a quocunque acri inductae; inflammatio meningum; cerebri, ejusque sequelae; repletio nimia sinuum; vasorumque venosorum meningibus propriorum; a congesto sanguine multo, orgastico, polyposo; huc item hydatides, calculi, vermes; hydrocephalus; hydrops ventriculorum cerebri. Perstat denique epilepsia et absente causa excitante, plurimarum nevrosium ad exemplar, ob solam consuetudinem et impressionem, quam primus insultus systemati nervoso posuit, et quod habituales epilepsiae tam pertinaces sint, causa hujus in alienatione per se ipsam producta cerebri et nervorum, saepissime haeret.

### Prognosis.

Morbus, cujus natura nos adhuc latet, cujus causarum, saepe sibi oppositarum, aequae ac symptomatum, infinitus fere est numerus, non aliam nisi ancipitem admittit prognosin. Sanatio ejus multis premitur difficultatibus, nec si successit, multum illi fidendum; cum vel et exiles noxae gravem revocent morbum; hoc tamen non obstante multi senescunt epileptici. Omnium difficilima sanatu epilepsia est, quae ab haereditaria labe ortum duxit, et vel a consuetis, alias in sanis hominibus stimulis provocari solet. Unica fere hic sanationis in appropinquante pubertatis periodo spes ponenda est, ob magnas eo tempore oriundas in corpore mutationes, quibus haec in epilepsiam proclivitas nonnunquam deletur. Difficilis quoque sanatio est, si a terrore, aut metu originem habuit morbus. Epilepsia ab alio morbo praesente pendens, hoc sanato plerumque solvitur. Raro epilepsia idiopathica sanatur, haerens enim in ipso encephalo vitium auferri aut corrigi plerumque nequit. Major sana-

tionis spes affulget, si causa mali in dissiliis a cerebro partibus sedem fixerit, quum ea apta remediorum applicatione forte auferri poterit. Quo rariores insultus et quo debiliores sunt convulsiones, eo melius. Solo intuitu insultus epileptici, aut excessibus in venere provocata saepius sanatur, ni mens jam sit alienata. Epileptici pueri saepe ab hoc malo, quum aetatis, tum victus, tum loci mutatione liberantur. Solvitur nonnunquam epilepsia ulceribus spontaneis in capite prodeuntibus. Si epilepsiae superveniat febris, maxime quartana, solvit morbum (Hippocrates), quem etiam caecitas superveniens quandoque sustulit. Epileptici affectus in infantibus non amplius dentientibus orti, variolas, morbillos, vel febrim scarlatinam indicant (Sydenham), neque tunc pro convulsione universali habendi sunt. Ut quandoque in maribus venus, non secus in feminis menstruorum initium epilepsiam tollit. Ab affectibus animi difficile, difficillime a terrore et diuturno moerore producta, sanatur. Vitia organica, quo plura adsunt eo pejus est; raro enim chirurgia haec sustulit. Mala est epilepsia quae sine prodromis invadit, prodromi in capite peioris sunt omnibus, quam in extremitatibus; imprimis ascendente ex his versus caput aura. Insultus quivis diu tenens apoplexiam sanguineam vel nervosam minatur. Criticae evacuationes ad finem denotant insultum bonum; malum autem si stadium soporosum diu duret; conscientia redeat sero, dejectio animi, lineamenta faciei turbata, et strabismus diu perstent. Fatuitas, mentis hebetudo, melancholia insultum excipientia, infausta sunt; paralysis artuum mortem ex appoplexia nervosa, jam jam instare significat. Sensibus, nervosis periculosissima, quam robusti diutius perferunt, senes autem cito interficiuntur. Producent epilepsiae diversos morbos, plerumque insanabiles, uti maniam, strabismum, apoplexiam, paralysin, hydroperam,

labem, notandum tamen ipsam morborum matrem epilepsiam, ab aliis iterum morbis sanari; meminerunt enim auctores epilepsiarum a febris quartanis, a typho, a superveniente tumore ad cubitum, a cholera, dysenteria, haemorrhagiis, imprimis haemorrhoidibus, morbis cutis, nec non a ruptura abscessus, sanatarum. Lethalis evadit potius sequelis, exitibus, vel et potentiis, quibus provocantur, nocentibus.

### Therapia.

Medendi methodum distinguimus in palliativam et radicalem; haec intermedio paroxysmorum tempore obtinet; quo morbum impugnant medentes, illa dominante accessione viget.

Durante accessione omnis medici cura versatur aut in praepediendo, aut temperando, aut innocuum reddendo paroxysmum. Praepediri insultus non nisi is potest, qui distinctis sese insinuat prodromis, vel certum servat typum. Si praecedat aura epileptica, ab extremitatibus versus caput means, applicito tornaculo, aut forti ligatura, viam aerae intercipiendo insultus fuit inhibitus; quin tamen hoc ubique et semper commendandum. Violentam enim hanc paroxysmi suppressionem exceperunt nimia anxietas et summa debilitas, hinc et ab ipsis aegris, solutio ligaturae quam maxime expeti solet, qui non nisi rite exantlato paroxysmo, libero intervallo valent bene. Leguntur etiam casus, ubi paroxysmus adhibito emetico fuit suppressus. Dum sedes morbi in cerebro supponitur, adhibeatur synapismus ad plantas pedum, infriectio tincturae cantharidum hic loci, elysmata emollientia, remotis omnibus, quae cerebrum et sensus fortius ferirent. Nocturna epilepsia, hausto poculo aquae recentis ante decubitum, praepedita fertur. Nunquam autem epilepsiae obnoxios, sine comite domum relinquere, nunquam eccle-

sias, theatra, cavenas adire, iis permittendum est, et, quos noctu invadit, his lectus super solum non nisi sternatur. In paroxysmo omnium primo prospicere oportet, ne aeger mordendo, aut membrorum convulsione et jactitatione valida sibi noceat; danda opera, ut vestimentis et vinculis resolutis reponatur in lectum, aut corpora molliora substernantur illi, convolutum strophium anterioribus dentibus molaribus interponendum, ne prae convulsionis vehementia lingua, collisus dentibus, praescindatur; artus convulsi non ruditer, sed lenissime extendantur. Ponendus autem aeger capite sublimi, in loco medioeriter calido, et lucido potius, quam tenebricoso, ut facilius ab objectis affici, et ad se redire valeat; spuma oris saepe deturgeta est. Clavis aut aliud ferri frustum manibus aegri commissum, et ipsa lenis frictio corporis ope ejusdem metalli, finem paroxysmo quandoque imposuit. Aquae etiam frigidae perfusio, bonum effectum praestasse visa est. Cautè tamen haec adhibenda; et, ubi congestiones sanguinis circa cerebrum valde eminent, non nisi praemissa evacuatione sanguinis, aegro aqua frigida affundatur. Summopere autem vetant usum aquae frigidae: mens debilitata, paralysis, labes pectoris chronica, diarrhoea, affectio rheumatica, impetigines, catamenia, tremor artuum intervallo libero, sudor largus sub paroxysmo, percussa exanthemata, complicatio cum scrophulis et rhachitide. Inutilis est conatus illorum, qui pollices introtractos extrahere summa vi conantur. Neque oportet aegros odoramentis, praesertim fortioribus, sternutamentis, vellicatione exercere, cuncta enim ad insultum abbreviandum parum conferunt, neque periculo carent.

In stadio soporoso quieti relinquendus aeger; expectatus animo et corpori diu adhuc pareat, et si debilitas nimia remansit, hanc vinum parca dosi, aut guttae aliquot spiritus aetheris sulfurici, optime tollunt.



Extra paroxysmum, accuratissimo instituto aegri examine, medicus ad causas morbi singulariter animadvertat; non secus sedulo inquirat, an non quaedam symptomata insultum epilepticum soleant praecedere, quibus edoceatur, causam mali in determinata quadam corporis parte latere; inquirendum simul est, an aliquid tempore paroxysmi, vel medio ejus intervallo, casu vel arte applicitum; profuerit; adnotandum, quo anni tempore paroxysmi frequentiores vel validiores fuerint, an circa novilunium, vel plenilunium contingant, quid boni vel mali egerint evacuationes consuetae menstruorum, haemorrhoidum etc.; observari debet, quid venti, aeris temperies, meteora in aegro effecerint, quid fecerit usus sex rerum non naturalium. His enim diligenter indagatis, et observatis medicus, dum, quid insultui praecedat nuncii, quae sit morbi causa, hujusque sedes, et quid prosit, quidve noceat aegro, non raro cognoverit, facilius medelam instituet, et magis convenientem vivendi rationem et locum praescribet, hacque ratione plurimum omnino praestare valebit. Mutationem regionum et vivendi generis, multum saepe ad tollendum hunc morbum valere, exempla docent. Puer decem annorum jam a tribus annis epilepticus, paroxysmo interdium pluribus vicibus recurrente, frustra adhibitis multis remediis, corripitur feбри epidemica molestis symptomatibus stipata quam feliciter superat, et postea ab epilepsia immunis manet.

Potissimum vero rationalis hujus morbi extra paroxysmum curatio in eo consistit, ut medicus excitantem causam, vel arte si fieri potest, tollat, vel vitari jubeat; dein ut disponentem quoque causam ex integro eradicare adnitatur. Prout igitur hae causae variae esse possunt, ita et curatio epilepsiae extra paroxysmum varia sit oportet. Si morbus originem summat a plethora, methodus

antiphlogistica, venaesectiones, nitrum, sales purgantes, tamarindi, oxymel, acida vegetabilia, lotio capitis et colli frigida, clysteres refrigerantes, diaeta tenuis, corporis exercitia moderata etc. omnem curae partem absolvunt. Si tempore menstrualis fluxus epilepsia invadit, a plethora abdominali derivanda; haec etiam antiphlogisticis, lenioribus plerumque, quibus turgescencia systematis sexualis imminuitur, cedere solet. Quo tamen, aut alio simili in casu, si stimulo aliquo in systema nervosum esset agendum, illum oporteret esse talem, qui minime systematis vasorum sanguiferorum adaugeat; quem in scopum camphora, refractis dosibus exhibita, summum est remedium. Producta a suppressis haemorrhoidibus consuetis, mensibus, haemorrhagia narium, lochiis, diarrhoea, dysenteria, urina, perspiratione vel aliis evacuationibus, quibus continuatis aeger incolumi fruebatur valetudine, his revocatis tollitur epilepsia. Si ex consueta spermatis evacuatione cohibita in epilepsiam quis lapsus est, matrimonio inito convalescet. A repletionem quacunque effectus hic morbus, curatur evacuantibus ad id indicatis. Impuritates primarum viarum suo modo evacuandae, unde jam emetica, jam purgantia recte indicata sunt. Infantes a meconio insultum epilepticum passos, lenem purgans sanitati restituit. Si epilepsia contingat in infante adhuc ubera ducente, habenda est cura nutricis, illiusque lac diligenter examinandum, an non aliquo laboret vitio, ad quod malum evitandum, tali occasione nutrix aut curanda, aut mutanda est. Si morbus ab infarctu viscerum abdominalium duxerit originem solventia sunt adhibenda, in quorum usu semper a lenioribus incipiendum est. Entozoa saepissime in infantibus produciunt epilepsiam, neque tamen et adultis parcunt, quos taniae inhabitare solent. Invadit autem hic morbus caducus communiter ad vespertas et post cibos vermibus ingratos; certam ta-



men diagnosim, nil, nisi ipse vermis prodiens suppeditat. Hac tamen confirmata, cum cum anthelminticis apte selectis, non multum cunctandum, ac dein roborantibus nidus vermium, ne amplius renascantur, destruendus. Multa specifica remedia, quatenus vermibus sunt infesta; viribus antiepilepticis instructa esse videntur. Si intervallo libero aeger exhibeat cutim siccam, erga temperiei mutationem nimium sensilem, extremitates frigiditas, si post insultum largus, graveolens erumpat sudor, qui autem alleviat, et, si insultum vicissitudo tempestatis facile provocet, epilepsiam refrigerium produxisse, justa est conclusio. Valent tunc balnea tepida, lotiones cutis cum sapone, vestitus calidus; interne dulcamara, sulfur, antimonii praeparata, camphora, et quae vires exserunt similes; denique cutis sensilitas, cauto usu balneorum frigidorum imminuenda. Repercussa exanthemata impetiginēs, ulcera diuturna quaecunque incaute clausa, si epilepsiam excitarunt, quo ocyus revocentur ad locum priscum, aut si hoc non fit, ulceribus artificialibus, vesicantibus, acerbis, lotionibus et unguentis suppleantur. In recenti suppressione exanthematum, ab emeticis multum exspectandum, praeter quae camphora et moschus apte adhibentur. In epilepsia ex onania aut quibuscunque excessibus in venere, saluberimae sunt lotiones partium genitalium cum aqua frigida, urgentibus simul pollutionibus et priapismo, fomenta frigida cum camphora, quae et interne debet adhiberi. In periodo dentitionis quae erupit epilepsia, quo plura signa turgentis sanguinis in caput adsunt, eo plus requiruntur hyrudines retro aures, lenia purgantia et diaeta parca. Omnia autem procul absint narcotica. Tempore pubertatis, id quod de puellis praecipue valet, semper fere congeritur sanguis in capite, ideo derivantia; ipsa evacuatio sanguinis, acida mineralia, elixir. acidum Halleri, et similia indicantur.

Epilepsia ab animi adfectibus et pathematibus excitata, remedia psychica exigit. Quies animi, remotio omnium quae animum valent exagitare, quam maxime sunt necessaria. Ambitio decepta, amor delusus, si illis satisfiat, curantur, quod si fieri nequit, oppositum pathema excitandum; aut prudens delectatio aegri instituenda. Si symptomata uterum adfectum indicantia, morbum comitalem praecurrunt, malum in ipso veluti limine, datis antihysterics suffocatur. Accidit quoque non infrequenter, ut in quibusdam familiis omnes liberi hoc morbo laborant; quo in casu in causam inquirendum, et cura prophylactica brevi post partum adhibenda est. Consistit vero epilepsiae cura prophylactica generalis maxima parte, in evitandis causis occasionalibus, in justa diaeta, et corporis exercitatione. Vitia organica quandoque chirurgia suffert, trepanatione, solutione strictae ligaturae, excisione tumorum, concrementorum, extractione corporum peregrinorum, transscissione nervi, castratione. Si vitium organicum recondatur calvaria, neque eximi possit, nil restat quam diaeta parca derivantibus, antiphlogisticis, imo, praesentibus congestionibus sanguinis gravioribus circa cerebrum, et venae sectionibus parvis, insultus temperare, aut libera intervalla prolongare. Sanguis, pus, aquae in cerebro et circa id accumulatae exigunt purgantia, calomel. arnicam digitalem, ut horum promoveatur resorptio. Atrōces dolores requirunt narcotica; si autem eundem constanter teneant locum, et fixi sint, inunctiones antispasticae, transscissio nervorum illuc euntium, ipsa caustica et ferrum candens adhibeantur. Calculi urinales et bilares sunt resolvendi, transitus eorum promovendus, obvolvuntibus narcoticis sensilitas partium, quas foriunt obtundenda, ne de extractione eorum utpote ope chirurgiae, amplius loquar.

Ast saepe causa detegi non potest, aut superest illius, etiamsi cognitae, effectus, et omnibus remediis adhibitis morbus non mutatur. In hoc casu, remediis contra morbum specificis destituti, agendo in systema nervosum et musculare, illius sensilitate et hujus irritabilitate imminutis, dispositionem emendare adnitimur, et ea adhibemus, quae specialia in epilepsia experientia comprobavit esse auxilia, qualia habemus: radicem valerianae silvestris, assam foetidam, camphoram, moschum, folia aurantium, corticem Peruvianum, chamomillae, liliorum convallium flores, emetica parva, dosi, praecipue ipecacuanham. Ad potiora remedia pertinent Castoreum et oleum animale Dippelii. Oleum terebinthinae ab anglis medicis dosi ingenti, in epilepsia non tantum a taenia suscitata, sed et in illa maniacorum, commendatur. In acutis epilepsiis profuerunt aetheres, ammonia, et qui cautissime est adhibendus, phosphorus. Absit usus remedii, ipso morbo deterioris, praesente erethismo systematis vasorum et nervosi, cum quo non nisi ubi torpor in gradu magno, pulsus tardus, mens alienata, paralysis partium adsunt, et ubi alia fortia remedia incassum, sunt adhibita, periculum esset instituendum. Optime solvitur ejus granum unum in drachma olei olivarum una, quae solutio juvante gummi arabico in aquae unciis sex suspendatur, cujus autem emulsi quarta pars per diem sufficit. Etiam partes animales phosphorum largientes, ab omni aevo in epilepsia sananda, sibi laudem promeruerunt.

Et metallorum quaedam salubres praestitisse leguntur effectus: huc ferrum, cuprum, zincum, mercurius et antimonium, in diversis formis adhibita. Peculiarem attentionem poscit cuprum ammoniacum; aeger autem, cui hoc adhibetur, nulla organorum digerentium labe, neque nimia sensibilitate laboret; quod nec jejunus ventriculus

perfert. Ceterum usus ejus vel et diu continuatus, a quarta grani parte, bis terve de die, raro detrimentum inducit. Laudant quoque lapidem infernalem, moderatissima dosi adhibitum, ipsumque arsenicum. Ferrum ob vires suas roborantes, nec secus et aquae ferratae, saepe in usum fuerunt vocatae. Ubi autem aegrum roborare convenit, roborantia amara, cinchonacea et reliqua, apte ferro praemittuntur.

Nec negligenda sunt externa, non raro enim ligaturae aliis frustra tentatis, magno epilepticis fuere auxilio; vel his non juvantibus, balnea tepida, ex aqua pura vel oleo confecta, vel enemata oleosa quotidie injecta, emolliendo, laxando, hacque ratione convulsiones tollendo, miras perfecere in hoc morbo curas. Saepe ubi de aegri rebus jam actum videbatur, vesicantia, setacea, fonticuli morbum felicissime sustulerunt. Profuit etiam loci illius, in qua prima paroxysmi futuri initia sentiuntur, artificialis exulceratio, eaque sat profunda, et diu sustentata per digestivorum applicationem; profuit quoque profunda ibi loci scarificatio, aut moxae usus; quandoque locus ad os usque, profundo vulnere dissecandus est. Balnea frigida tum fluvialia, tum marina, aestate cum debitis cautelis, et immergendo potius, quam per diurnam moram in aqua, adhibita, in adultorum epilepsia nervosa, omni plethora experte, vel ob id commendari merentur, quod aegros admodum sensiles ad usum internum pharmacorum idoneos reddunt. Balneis tepidis vix est in epilepsia locus. Minus profuit applicatio electricitatis, quae tamen in paralysis applicari meretur. Plus praestitit galvanismus: catena clausa, momento in sultum praescidisse visa est.

Complura remedia imaginationem aegri exercentia, bonum quandoque effectum praestitisse dicuntur. Huc

pertinet: magnetismus animalis amuleta, varia, lapidis nephritici sub cute introductio.

Reconvalescentiae cura, si epilepsiam eradicare feliciter contigit, in evitandis versetur potentiis nocentibus, morbum vix profligatum allicientibus, sedulusque adhuc medicamentorum de medente optime meritorum, per longius tempus habeatur usus.

## T h e s e s.

1. Primum vitae momentum prima est mortis ingruentis scena.
2. Atque hinc vita continua est cum morte lucta.
3. Non omnis epilepsia stimulantibus nervinis est tractanda.
4. Specifica contra epilepsiam remedia a medicina rationali procul absunt.
5. In producendis morbis, aer atmosphaericus non mediocrem tenet locum.
6. Dantur morbi salutare.
7. Non existit medicamentum absolutum, nec potentia nocens absolute talis.
8. Naturae medicatricis existentia medicum superfluum non reddit.
9. Animi adfectus variorum morborum causa, et variorum per se saepe medela esse possunt.
10. Medicus audaciam inter et meticulositatem medium teneat.
11. Hermaphroditi perfecti, veri nominis tales, saltem in genere humano non occurrunt.
12. Vis vini stimulans prae nutriente est habenda.
13. Indicatio operationis chirurgicae ad medicinae spectat forum.
14. Medicum oportet esse scepticum et eclecticum.
15. Studium Medicinae non nisi morte finiendum.